

de ad Ortum, abest. Ita enim sicut hæ duæ simul per lentes perspicilli incidebant in oculos, etiam Cometa cum stellâ Persei prædictâ simul iisdem ferè punctis perspicilli capiebatur.

Hinc Cometam in 19 gr. 30 min. ζ cum latit. 31 gr. 5 min. incidisse, non procul alienus à veritate, dixerim.

CAPUT XV.

DE QUANTITATE MOTUS
in singulos dies.

Hæc erat ὑποτύπωσις τῶν παρῶν Cometae: Jam quantâ contentione singulis diebus incesserit & qualem in Cælo arcum descripserit, ex iis quæ de situ ejus ὀλοχερῶς annotavimus, intelligitur. Pro Quantitate motus primi diei inquirenda sit,
In apposito Diagrammate,



A Polus Eclipticæ australis

B Locus Cometæ primus.

C Locus secundus.

B C Arcus motus diurni.

Cum igitur in Triangulo A B C nota sint latera

A B Complem. latit. Cometæ primo apparitionis
die 49 gr.

A C Complem. latit. Cometæ secundo apparitionis
die 60 gr. 4 min.

Cum angulo C A B, qui est differentia longitudinis Cometæ primo & secundo diei competentis, latere non potest B C latus motum Cometæ diurnum exprimens, 12 gr. 10 min. 50 sec. ad horam 8 vespertinam. Simili modo quantitas motus ad reliquos dies investigari potest, ne tamen Calculo prolixiori molestus esse videar, motum diurnum ad singulos dies hoc modo supputatum inferiùs in tabulâ peculiari conjunctim exhibebo, quam benevolus Lector haud gravatim videat.

CAPUT XVI.

DE TRACTU MOTUS PROPRII.

Quod tractum motus proprii concernit, ut ut oculorum judicio, præsertim circa principium, recto tramite progredi,